DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

INCONTINENTIA VRINAE EX PARTV DIFFICILI

QVAM

PROPITIO SVMMO NVMINE

SVB PRAESIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI

COLLEGII MEDICI SENIORIS ET h. t. DECANI

Ad d. Mart. A. MDCCXXIV.

PRO LICENTIA

PVBLICAE DOCTORVM CENSVRAE COMMITTET

AVCTOR RESPONSVRVS

HENRICVS ANDREAS VELTHEM

ALSLEB. MAGDEB. MEDICINÆ PRACTICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOH. CHRISTIAN HILLIGERI, ACAD. TYPOG.

NOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

PRÆSES.

DUo inprimis ſunt quibus Medicus, qui officio ſuo rite defungi cupit, exacte ſatisfacere debet; alterum ad ipſam artem, alterum ad bene vivendi rationem & cum aliis conſuetudinem pertinet. Quemadmodum enim omnis eruditionis atque ſcientiæ is unicus ſcopus ac finis eſt, ut in omnium emolumentum cedat; ita in medica quoque arte ii demum partibus ſuis debite reſpondent, qui non ſibi tantum ſapiunt, ſed quicquid doctrinarum per indefeſſam diligentiam hauſerunt, ad communem uſum transferunt. Hoc autem ut obtineamus haud ſane exiguus labor eſt, quum in tam diverſum abeant mortalium animi, nec ulla acquiri poteſt diligentia, ſed nativum utique eſt, & præter erectam ac perſpicacem indolem, mores ad probitatem omnemque humanitatem compoſitos deſiderat, quo Medicus favorem aliorum & benevolentiam captare, ſui confidentiam comparare

re

re & cuiuscunque genio accommodate, temporis aliarumque circumstantiarum opportunitatem aucupari sciat. Potissimum hæc ad secundam fortunam in Medico conficiunt momentum, ita prorsus, ut quantumvis eruditus & amplissimo scientiarum apparatu instructus, sine iis in vacuum laboret, felicitatis expers, sibi aliisque parum utilis; alius vero non adeo abundantis doctrinæ, qui omnibus prudenter sese impertire novit, illorum favore atque auxilio adiutus, ad summum fere prosperitatis fastigium evehatur. Eo maior autem eoque certior emergit felicitas, si hæc amico iuncta sint connubio, & præter id quod omnibus æquum quis se præbeat, ingenium variis doctrinis excultum atque subactum, cum eximia medendi peritia accedat. Quæ quum ita sint, non possum non, quin tibi quoque Experientissime Dne. Candidate, *faustissima quævis ominer, qui non solum in id sedulo incubuisti, ut scientiam atque peritiam quæ a Medico requiritur, adipiscereris, verum etiam insigni morum tuarum suavitate atque concinnitate effecisti, ut omnium propensas voluntates tibi conciliares, & his amicissime in te conspirantibus, bonorum calculum & vetus illud euge! bene! promerereris. Euge itaque bene! feliciter eveniant novi quibus exornaris honores, adsit tibi ulterius divina clementia, arrideat fortuna fautrix & invenias dignos virtute tua patronos, quo omnia quæ moliris prospere cedant, & in alios teque ipsum fructus inde redundet uberrimus. Hec tibi non solum toto ex animo apprecor, sed etiam, si quadam in re commodis tuis inservire potero, nunquam meum defuturum esse studium polliceor. Vale. Scrib. IV. Kalend. April. MDCCXXIV.*

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

INCONTINENTIA VRINÆ EX PARTV DIFFICILI.

PROOEMIVM.

ADmiranda eſt ſummi conditoris noſtri ſapientia, qua omnium animalium, maxime vero hominis, ita fabricavit corpora, ut, non ſolum neceſſitatibus ſingulis rectiſſime ſatisfaciant, verum etiam ad elegantiam munditiemque comparata ſint. Nolumus iam argumentum hoc pleniſſime excutere, ſed Lectori tantum in memoriam revocare, quantum ſit illud beneficium, quod ea, quæ neceſſario excerni debent, ab aſſumtis quotidianis tanquam feces reſidua, voluntatis noſtræ arbitrio ex parte ſubiecta ſint,

nec invitis nobis exitum, quoad ſani ſumus, inveniant. Nam quum ciborum intra corpus aſſumtorum digeſtio, chyli exrractio, deſcenſus per longum canalem inteſtinorum ita fiant, ut nec conſcii ſimus, nec voluntatis ullum imperium in hæc habeamus: quis non admiretur voluntati noſtræ in unam ultimam tam longi canalis particulam ius quoddam fuiſſe tributum? Pari ratione potulentorum, ubi ſemel in ventriculum deſcenderunt, diſtributio, & in humores vitales deductio, nobis nec conſciis, nec adiuvare, vel impedire valentibus, ut & ipſa ſuperfluæ humiditatis in renibus ſercetio, perque uretheres deſcenſus fiunt & abſolvuntur. Sola emiſſio eſt, cuius nos conſcios natura voluit, eiusque moderamen voluntati tribuit. Quantum hoc ſit beneficium, ii demum intelligunt, qui morboſa quadam diſpoſitione detenti, poteſtatem hanc amiſerunt, vel illi, quibus neceſſaria cura eiusmodi ægrotorum incumbit. Quantum pretio hominis detrahat ſola, de qua agere conſtituimus, mictio involuntaria, vel ex Romanorum legibus diſcere licet, quibus cautum fuit: ut, *ſiquis mancipium vendidiſſet, quod immingeret, contractus ille reſcindendus ſit.* Non itaque indignam putavimus hanc materiam, quantum nobis quidem conſtat, diſputationibus non multum detritam, quam inauguralis thematis loco, conſideraremus, & tanquam ſpecimen profectuum qualecunque demum ſiſteremus. Quum vero late pateat hoc argumentum, ſtudio brevitatis factum eſt, ut unice reſtringeremus illud ad eam incontinentiam, quæ fœminis, partu difficili defunctis, accidit, totamque eorum vitam, niſi in tempore ſuccurratur, infeſtat. Faxit Deus feliciter!

§. I.

§. I.

Dicturi igitur de gravissimo morbo, qui fœminis, dum matres fiunt, subinde accidit, necessarium putamus, partium in hoc morbo affectarum, naturalem sanamque constitutionem, brevissimis verbis delineare; tum vero addere, quasnam illæ mutationes subire debeant, sub ipso illo actu, quo fœtus excluditur. Me autem tacente, quivis intelligit, vesicam, eiusque collum, cum urethra, uterique vaginam, in hoc morbo affici.

§. II.

Vesica urinaria locum habet sub osse pubis & peritonæo subiecta. Cervix eius, musculosis fibris circumdata, valde brevi canale exit in pudendum muliebre, pollicis fere spatio sub clitoride. Nobis vero maxime illud hic est notandum: quod cum vagina uteri arcte cohæreat, ita, ut prosus unica tunica videatur. Vaginam uteri, ex parte superiori accurate cum meatu urinario coniunctam esse, ex dictis patet, nihilque opus est adiungere: videamus potius, quantum mutationis hæc pars subeat, dum fœtus excluditur. Scilicet appropinquante partu aliquot ante dies, prægnans, molis, quam in utero valde aucto & expanso, gestat, sensibilem inclinationem ad hypogastrium sentit. Intercurrunt tunc dolores circa præcordia & lumbos, qui tandem in veros partus dolores, a lumbis incipientes & ad sinum progredientes, abeunt; hosque inter uteri orificium internum aperitur, quin ad aliquot dies prorsus aboletur, sic, ut matrix tunc temporis instar campanæ pateat, rectissime docente harum rerum per tot annos experientissimo, FRIDERICO RUYSCHIO, *Adversar. Anatom. Decad. II. observ. 10.* sub hac dilatatione simul valde tenduntur fibræ membranaceæ, va-

ginam constituentes, & quum tanquam fixo loco annexæ sint ossi pubis, fieri nequit, quin exeunte foetu grandiore, præsertim in primipara annosiore, ubi difficilius, fibræ iam duriores elongantur, maxima cum molestia parturientis, difficultateque partus illud accidat. Longe vero magis pati debent hæ fibræ, partus laboribus diutius protensis, ob urinæ, in vesicam coacervationem: præcipue, quoniam fœminæ parturienti, quando fœtus caput ad exitum tendit, impossibile est lotium reddere, quia meatus urinarius, quantum potest, maxime compressus, nihil transmittit.

§. III.

Quod si igitur foetus, exitum quærens, capite suo ossi pubis diutius insideat, necessarium est, ipsam illam pressionem continuumque accubitum, seu incubationem, fibris tantopere tensis, molestum sensum, vasis autem, omnis generis humores continentibus, impedimentum progressivi motus inferre. Unde simul stagnationis, vel prorsus staseos, simul vero suggillationis effectus emergit. Huic vero, per se sat gravi incommodo, succenturiatur alterum, quod obstetrix, manus suæ digitis, uterum subitura, dictam compressionem valde augere, suggillationem producere, vel immodestius agendo, prorsus rupturam fibrarum perpetrare valet. Immo ipsa tam valida extensio fibrarum, sola sufficit ad rupturam per se efficiendam, quemadmodum etiam perinæi, nec non intestini recti, ruptura, in difficiliori negotio, non semel observata fuit.

§. IV.

Dicta nunc & exposita satis, ut existimo, declarant, quid fieri possit & soleat, ut in parturientibus cervix

vix vesicæ lædatur, sive suggillando, stasinque humorum in ipso corpore vesicæ, qua parte illud cervici proximum est, inducendo, quæ deinde in inflammationem corruptionemque abit, partisque substantiæ eius ablationem infert, sive obstetricia manu scalpente & perrumpente, in continenti illud accidat, sive demum, quod plures auctores medici unice admittere videntur, sphincteri vesicæ, qui fibris carnosis vaginæ implicatur, atonia quædam & laxitas, ab immoderata illa extensione, inducatur.

§. V.

Est itaque urinæ involuntarius exitus, seu incontinentia, post partum accidens, lotii effluxus perpetuus, qui vel per ordinarium urinæ meatum accidit, si sphincteris tantum vitio fit, vel per ipsum vesicæ exulceratæ cavum, in vaginam uteri continuo exstillat, adeoque solutionem continui supponit.

§. VI.

Caussas hujus mali, multis indagare prorsus superfluum existimo, postquam ex brevissima adumbratione eorum, quæ in partu fiunt, intelligentibus satis patent. Non leve malum esse, aut facillimæ curationis, sine ambagibus profitemur, præsertim, si mulieres, ut fere solet fieri, inconsulto pudore prohibitæ, medelam tempestive admittere negligant. Non tamen absolute incurabilibus accensendum esse, ex inferius dicendis palam fiet. Ante vero quam nos accingamus ad dispiciendum, quid facere ad curationem possit, necessarium putamus, productis quibusdam observationibus, certum reddere, dari eiusmodi urinæ incontinentiam, quam mulieres, per multos annos, non sine summa molestia, perferunt, postquam

vesica

vesica illarum inde a partus difficilis tempore disrupta in vaginam hiat. Eodem labore etiam licebit edisserere incommoda, quæ ita læsis accidunt, huncque morbum fœditate sua abominandum, dolorum etiam & incommodorum copia detestabilem reddunt.

§. VII.

Et sane, non multa adeo exstant documenta, quibus convincamur classicis Medicinæ auctoribus, paullo vetustioribus, hanc a partu læsionem indeque evenientem urinæ incontinentiam, innotuisse, quum plerique dum caussas huius morbi enumerant, sicco illam pede prætereunt. Antiquissimus eorum, qui mihi occurrerunt, est, FELIX PLATERVS, qui *Observat. Lib. III. p. m.* 787. de quadam iuvencula commemorat, quod ipsi ex partu difficili [& primo, orificium vesicæ adeo scissum fuerit, ut longa illic & hiante rima, vesica aperta cerneretur, stylusque longus intrudi posset, curatam hanc fuisse, quia auctor nihil addit, vix credo. Post hunc, HENRICVS ab HEER, *Observat. Lib. I, 14.* egregiam, de primipara, historiam refert, cui inter pariendum, vesica sic erat lacerata, ut ne momento urinam contineret. Iugi acris humoris stillicidio pudenda excoriata, mollibusque multis verrucis obsessa fuerunt, quod quidem malum, per duos annos molestissime fœminam exercuit. Huic laudatus Medicus, postquam prægrandem verrucarum molem, omnemque carnem corruptam abstulerat, per diducta pudendorum labia siphonem argenteum in vesicam immisit, per quem urina in lagenulam siphoni annexam influeret, sed plenissimam restitutionem fœmina adepta est, postquam remedium, cujus mentionem infra faciemus, adhibuit. Atque hæc sunt exem-

exempla, quæ plerique Practici recentiores adducunt, quibus addere liceat, PHILIPPVM SALMVTHVM, & TIMÆVM a GVLDENKLEE.

§. VIII.

Post hos viros, celebris ob peritiam obstetricandi Gallus, MAVRICEAV, *p 24. & p. 298.* commemorandus est, qui similem casum se vidisse, funestumque exitum, quem eventus non multo post tempore confirmavit, prædixisse testatur. Sed plenius multoque copiosius de hoc incommodo disseruit Chirurgus quondam Würtenbergicus, CHRISTOPHORVS VOELTER, in libro vernaculo, quem *Scholam Obstetricum* inscripsit. *P. III. c. 8.* Hic vero plurium meminit fœminarum, quæ hac ratione misere fuerunt mulctatæ, seorsim illud annotat, quod ad rem facere omnino videtur: disrumpi fibras vesicæ colli, non secundum longitudinem, sed transversim. Maxime notatu digna est, *Observatio III.* qua hæc vesicæ ruptura, cum vaginæ uteri procidentia & intestini recti ruptura, complicata sistitur.

§. IX.

His omnibus addo recentissimam observationem, quam, quum superiori anno, in Academia Altorffina degerem, Excellentissimus D. D. SCHVLZIVS, Præceptor ac Patronus meus, ætatem venerandus, habuit, & mecum benevole communicavit. Nam quum is pauperculæ rusticæ remedium, ab Henrico ab Heer commendatum, dedisset, illaque a diuturno, quod passa fuerat, urinæ stillicidio, liberata esset, alia, simili detenta calamitate, ad eundem veniebat, idem auxilium efflagitatura. Erat autem mulier triginta duorum annorum, quæ ante biennium primo pepererat, sed ut fieri in annosioribus solet, cum maxima difficultate. Ex eo tem-

pore perpetuo urinæ ſtillicidio vexata fuerat, ut nunquam, niſi ſpongia pudendorum labiis applicata, prodire auderet, dederat ipſi Henrici ab Heer remedinm, ſed nullo cum fructu per aliquot menſes geſtaverat. Rediit itaque menſe Septembri, & ut iuſſa erat, ſucceſſum retulit. Miratus ille ſupra laudatus *D. D.* SCHVLZIVS eventum ſpei contrarium, ſuſpicari cœpit gravem exulcerationem, quare inſpecto exploratoque loco, liquide obſervavit, urinam per vaginam effluere. Hoc viſo, digitum indicem vaginæ immiſit, ſuperatoque oſſe pubis, foramen oſtendit, cui anterior articulus ſine impedimento intrudi poterat; immiſſo itaque cathetere, ibique paulisper relicto, lotium per ſiphonem effluere vidit, ut nullus dubitandi ſupereſſet locus de veſica graviter exeſa. Incidebat ipſi tentare, utrum per ordinarium urinæ meatum, immiſſo cathetere commodo ibique relicto, lagenula vel veſica annexa, mulieris moleſtiæ ſublevari poſſent? non ſine admiratione vidit illum meatum omnino clauſum eſſe & coaluiſſe, quare fœminæ, ut aperiendum meatum curaret, ſuaſit, quæ mariti conſilium voluntatemque auditura tunc abiit. Quid vero ulterius factum ſit, nondum habeo compertum.

§. X.

Notatu digniſſimam hiſtoriam, peculiari Diſſertatione, *de incontinentia urinæ ex partu globulis ligneis curanda*, exhibuit, *D. D.* HILSCHERVS. Fœmina quadraginta annorum, poſt exantlatos, per trium dierum ſpatium, acerbiſſimos partus dolores, tribus a puerperio elapſis diebus, urinæ involuntaria excretione cœpit vexari, quam ut cohiberet, mulieris cuiuſdam ſuaſu, globum, e ſtupa linteis filisque confectum, ac cera obductum, uteri vaginam intruſit, hocque pacto

mole-

moleſtum effluxum per decem annos prohibuit. Quum vero per tam longum tempus globulum vagina nunquam exemiſſet, factum eſt, ut moles eius, tot ſordibus accreſcentibus, nimium augeretur, ſenſimque magis extrorſum propelleretur. Ruſtica dum globum reponere in priſtinum locum omni niſu allaborat, abſcidit fruſtum quoddam materiæ tartareæ, unde inæqualitas enata eſt, quæ ſenſim inteſtinum rectum attentavit, tandemque penitus dilaceravit, ut maxima ſui parte per illud foramen novum deſcenderet, inteſtinumque obduraret, adeo, ut nunc longe miſerabilior fœmina, alvi excrementa per ſinum muliebrem effunderet, ſimulque priſtina urinæ incontinentia rediret, unde dolorum tormentis & continuis moleſtiis victa, Medico ſe committere, tandem coacta fuit. Laudatus Dominus D. Hilſcherus ibidem commemorat: *Excellentiſſimum Dominum D.* SCHLEVOGTIVM, de eodem noſtro argumento, ante ſe, diſſertationem ſcripſiſſe, eamque pulcherrimis obſervationibus exornaſſe, quam tamen, etſi ſtudioſe requiſitam, nondum licuit reperire.

§. XI.

Ex hiſtoriis laudatis iuvat nunc aliquas obſervationes elicere, & inde occaſionem arripere, naturam affectus huius omnemque hiſtoriam penitius inſpiciendi. Et quidem in eo conveniunt plerique hunc affectum a partu difficili, laboribusque eius diutius protractis, præſertim ſi fœtus mortuus, aut mater primipara paulloque annoſior fuerit, enatum fuiſſe ſtillicidium urinæ, non ſemper immediate poſt partum, ſed aliquot demum diebus inſequutis obſervari. Ipſum liquorem urinoſum acrimonia ſua partes, quas continuo madefacit, male afficere, erodere, exulcerare, unde excreſcentiæ fungoſæ,

 im-

immanes dolores, inflammationes, aliaque id genus mala, continuo emergunt. Vesicæ in vaginam perruptionem modo solitariam esse, modo cum intestini recti perforatione, aut perinæi ruptura coniunctam deprehendi, aut incongrua medicatione demum oriri intestini vitium. Denique in nonnullis atresiam accedere, meatu urinario, per omissum usum partim collabente, partim in principio suo conglutinato.

§. XII.

Nolumus genesin huius læsionis altius indagare, præsertim cum supra, brevibus quidem verbis, sententiam de eo nostram proposuerimus. Iuvat nunc tantummodo inquirere, an læsio eiusmodi, obstetricum magis culpa eveniat, an per se possit enasci, nullo ipsarum vitio? Non diffitemur, in pagis passim & oppidis, rudes adhibere, & tam necessario officio minime aptas fœminas, anatomica partium, quas tractare debebant, cognitione minime instructas, & insuper non raro ad tantum opus accedere, quibus potu inebriante, mens obnubilata est, manusque pedesque vacillant; unde rudiori tractatione, ubi manu succurrere volunt, tensas partes valdeque extenuatas, præsertim si ungues fortius adigant, posse disrumpere video, quo minus tamen absolute, immo plerumque culpam ipsi tribui debere asseram, impedior partim rationibus, partim testimoniis virorum in hac arte versatissimorum.

§. XIII.

Et primo quidem, quod ad rationes pertinet, puto extra dubium positum esse, perinæum muliebre, seu spatium, inter pudendorum labra, & intestini recti exitum, neutiquam imbecillius, potius vero robustius esse, illo pariete intergerino, qui vesicæ collum a vagina seiungit; idem-

idemque, quum ossibus non adeo incumbat, arcteque iungatur, quam pubis ossibus vagina cum collo vesicæ annectitur, facilius posse sine rupturæ periculo tendi. Attamen non adeo rara esse earum puerperarum exempla, quibus illud spatium, sub partus conaminibus, penitus perrumpitur, Practicorum observationibus pluribus edocemur, ut non opus sit, in re manifesta auctores excitare. Id vero in primiparis annosioribus præcipue accidere, itidem certum & exploratum est. Si igitur in hac parte, ubi manus obstetricia non adeo sæpe admovetur, solutio continui sine earum culpa accidere solet, ob nimiam dilatationem, non video, cur non idem facilius vaginæ atque collo vesicæ possit accidere?

§. XIV.

Vt vero minime dubium est, eiusmodi solutionem in collo vesicæ fieri posse, ab actuali ruptura nimis tensarum fibrarum: quo casu etiam semper perinæi rupturam fieri, laudatus VOELTERVS. *p. m.* 318. asserit, & celeberrimus Academiæ Altorffinæ Professor, *Dominus* D. SCHVLZIVS, in ea, quam superius descripsimus, fœmina, rupturæ huius reliquias, instar labii leporini, usque ad marginem intestini recti, observavit; alius tamen etiam modus superest, ad hanc læsionem perveniendi, quem MAVRICEAV *p. 24. & pag. 298.* indicavit, nosque supra attigimus. Quando enim fibræ sub diuturnioribus partus laboribus, ab infantis capite ad os pubis fortius compressæ diu manent, fieri deinde solet, ut inflammentur atque in abscessum abeant, aliquot demum a partu diebus consummandum; unde fluxus & stillicidium urinæ, per vaginam, tertio demum vel quarto die, contingit. Hoc autem casu, prorsus non accusari obstetrix, nisi iniustissime, potest: meritoque earum patrocinium suscepit, sæpius a

nobis commemoratus MAVRICEAV, teſtaturque id accidiſſe fœminæ cuidam, cui Chirurgus in obſtetricando verſatiſſimus, atque ob id celeberrimus, fœtum eduxerat.

§. XV.

Læſionem hanc accidiſſe, urinæ effluxus indicat, & incredibiles dolores, quos acrimonia ſua rodente excitat. Sed videamus, quænam porro conſequi hanc læſionem, ab auctoribus fide dignis, annotatum ſit? HENRICVS ab HEER vidit iugi ſtillicidio excoriatam primum cutem labiorum pudendi, moxque tot ibi verrucas, ſed molles, natas, ut vix duæ manus ad illas comprehendendas ſuffecerint: nates ad oſſa fere eodem lotio exeſas. Immanes dolores paſſa hæc muliercula fuit, ut eiulatibus eius in platea e longinquo auditis, ad opem ferendam accurrerit. De atrocia hac dolorum, continuo moleſta, omnes auctores teſtantur, quare nihil addo, ſed ex VOELTERO referam, quid ipſe crebrius obſervaverit. Paucis, inquit diebus, ab illa læſione facta, ex ea provenire obſervantur concretiones calculoſæ, membranulis intermixtæ, ſoletque hæc calculoſa excretio in decimum quartum fere diem durare, non levi augmento malorum, quæ miſeras fœminas exercent. Nam quum urina vaginam parteſque vicinas arroſerit, & tumorem circum circa excitarit: moleſta hæc dura corpora inſtrumentis eximenda ſunt, ne intolerabiles porro dolores excitent, easque ad deſperationem adigant. Quid illud ſit membranaceum, quod auctor ille commemorat, utrum veſicæ corruptæ ramenta, an vero interioris veſicæ membranæ particulæ ſenſim abſcedentes, in medio relinquo, pro poſteriori autem militare videtur RVYSCHII obſervatio, quam *Adverſar. Anatom. Decad. II. pag.* 24. communicavit.

§. XVI.

§. XVI.

Quo pacto per se iam satis grave hoc malum incongrua medicatione reddi possit, longe gravius, ex *Dissertat. D.* HILSCHERI, iam supra indicatum est. Nunc pauca de imperforatione, seu atresia, quam ex supra etiam exposito casu vidimus, adiiciemus. Illam vero enatam fuisse ex eo, quod urina pristinum iter non frequentaret amplius, unde meatus ille sensim sensimque angustatus fuit, existimare licebit: maxime autem ad effectum consolidationis fecisse puto prægressam excoriationem & erosionem, quam acrimonia sua lotium in pudendis passim effecerat; unde eo facilius coire potuit per se angustum foramen: veroque haud dissimile videtur, effectum remedii amuletici, in illa fœmina non æque votis, quam in alia, respondisse, propterea quia hic meatus clausus, ordinarium iter repetere lotio non permisit.

§. XVII.

Vidimus hactenus, quæ ad historiam atque ætiologiam huius affectus pertinuerunt, tempestivum nunc videtur ad ea progredi, quæ Medicus vel Chirurgus facere, in hoc morbi genere possunt. Et quidem ubicunque annosiores fœminæ primiparæ occurrunt, cautio hæc sit Medico, ut ante omnia vesicæ exonerationem, ante partus labores, suadeat, & si aliter impetrare nequit, cathetere immisso procuret. Rectissime id monuit VOELTERVS, *pag. 307.* & ratio concinit. Nam quum vesica lotio repleta est, omnis eius fibras extendi, quantum fieri potest maxime, apparet, quumque eo tempore, quo fœtus ad exitum tendit, capite suo collum vesicæ maxime comprimat, ut per omne illud tempus, si vel maxime velit, urinam emittere parturiens nequeat: vix evitari

vitari eventus hic poſſe videtur, ſi ſtatus hic in ſecundum vel tertium diem duret, & inſuper medicinæ ad partum promovendum, quæ ſimul diureticam vim habent, adhibeantur. Parcius etiam tunc potum offerendum eſſe, facile patet.

§. XVIII.

Si malum hoc accidiſſe fœminæ ſentiatur, matureque conſilium & auxilium admittatur, antequam oræ vulneris occallucrunt, medicinæ locum eſſe minime deſperamus. Nam quum veſica ſit ex illis corporibus, quæ vacua fibras ſuas contrahunt, & coniungunt labia a ſe invicem ſeparata, valde hiatura eſſe, non eſt metuendum. Atque ſane ſpes eſt, ſolius naturæ beneficio malum ſarciri poſſe, ſi fœminæ ſic laboranti catheter in veſicam per meatum urinarium intruderetur, ibique per plures dies relinqueretur: interea autem per vaginam immediate applicarentur remedia ad conſolidationem idonea. Immo fieri poſſe, ut Chirurgus, acu & filo labia conſtringat, expertus eſt claris viris medicis, & hos inter *Domino D.* WEPFERO, præſentibus, ſæpe dictus VOELTERVS, etſi repetita operatio etiam ſine fructu fuit, quoniam nimis ſero ad medicinam hanc faciendam, ventum fuerat.

§. XIX.

Quoniam vero ita ferunt corrupti hominum mores, ut Medicum vix admittant ad ea, quæ in locis, quos pudor abſcondere ſuadet, occurrunt, niſi prius convicti ſint, privatos anicularum auſus in vacuum exiiſſe, & interea mala pleraque ad immedicabilem ſtatum progrediantur; conſiderandum eſt quid medicina, etiam in illa ægrotantium conditione, ſi non ad tollendum, tamen ad demulcendum palliandumque morbum valeat. Ante

omnia

omnia igitur videndum eſt, quo pacto fœdum lotii effluxum cohibeamus, ab eoque factas exulcerationes iam præſentes tollamus. In hunc finem HENRICVS *ab* HEER in ſua, quam curavit ægrota, ſiphonem argenteum fieri curavit, quem altero extremo per vaginam in veſicam immiſit, alteri autem quatuor latos digitos exſtanti, lagenulam, in quam lotium efflueret, alligavit, ſicque ipſam a moleſtia ſumma liberavit, ut etiam amplexibus coniugalibus, remoto ſiphone, apta eſſet, conciperet, feliciterque pareret. VOELTERVS affert hiſtoriam fœminæ, quæ ſibi aptam pelvim faſciæ alligatam, pro colligenda urina aptaverat, poteratque ſpongia pelvi immiſſa in publicum prodire, tandemque uſu balneorum artificialium ita reſtituta fuit, ut urinam per plures horas contineret, neque pelvi indigeret amplius.

§. XX.

HENRICVS ab HEER, poſt aliquot annos ægrotam ſuam reviſens, omnino illam liberatam a malo ſuo deprehendit, poſtquam remedii amuletici uſum a Cingaro edocta fuit. Scilicet pulverem bufonis vivi, in nova olla uſti, ſacculo incluſum, collo appenderat, ſicque liberata fuit. Superius commemoravi quem ſucceſſum D. D. SCHVLZIVS, ab eodem remedio, in una fœmina paupercula viderat, ſcilicet voto reſpondentem: quod vero in altera non æque ſucceſſit, puto coalitum meatus urinarii in culpa fuiſſe, CORNELIVS SOLINGEN, a ſe curatam fœminam, non ſine magno labore, commemorat, quo vero id pacto effecerit, non adiecit.

§. XXI.

Vltimo loco ſervavimus, *Domini D.* HILSCHERI, methodum, qui globulos ligneos, vaginæ intrudendos, monet; quod quidem, qua cautione faciendum ſit, quum

doctissimus vir multis exponat, nolo hic multis repetere, sed Benevolo Lectori, ut apud ipsum auctorem legat, permitto. Quod superest, omni intuitu consultum videtur, balneis artificialibus, quantum profici possit, experiri, quin etiam naturalibus, præsertim ob adstringentem calcaream terram, aliquid tribuere.

§. XXII.

Quando durat effluxus, & urina acrimonia sua molestas excoriationes excitat, mucilaginosa præcipue commendari possunt, ad exsiccandum autem atque consolidandum pulveres, ex lythargirio, cerussa, radicibus bistortæ & similibus, applicari sic poterunt, ut vel cum oleo rosato in unguenti formam redigantur, sicque imbuta lintea applicentur: vel nudi pulveres adspergantur, interpositis tamen linteis, ne qua consolidatio contingat. Si vero omnino, post excoriationem fungosæ excrescentiæ, vel profundæ exulcerationes, acciderint: his ex communibus Chirurgiæ præscriptis mederi convenit. Ceterum, immortale Numen, quod præsidi valetudinis humanæ arti præsidet, supplex veneror, velit omnium honestorum virorum, meisque conatibus porro succurrere, ut ad optatum pertingere liceat

FINEM.